mariam. In malam autem assumitur. ubi per samuhe
lem Sauli dicitur. Auferetur a te regnum. et dabitur
emulo tuo. Emulus quippe David dicitur. cui Saul
inuidere non ignoratur. Dura est ergo ut in
fernus emulatio. quia dum synagoga Christum ad
inferos transmittere posse se putauit. eumque
ad mortem caede immisericordi inuidit. ut in
fernus dura emulatio extitit. quia sicut in
fernus sine misericordia quos tenet cruciat. sic
iudaica plebs Christum apprehendens sine respectu
pietatis ad mortem trahebat. Unde quam bene sub
ditur. Lampades eius lampades ignis atque flam
marum. Sicut enim ignis quod incendit consu
mit. sic iudeos ab omni fidei merito inuidia
sua destruxit. De quibus bene alibi dicitur. Et
nunc ignis aduersarios consumit. Ac si dice
retur. Antequam ad eternum ignem ueniant. in pre
senti consumuntur. quia in se ipsis ignem inui
die portant. qui sine combustione portantes
non portant. Hic ignis inuidie flammas protulit.
quando per exempla in quibus accensus est. etiam
in gentibus usque ad christianorum martyria per mun
dum uniuersum exercuit. Sed quia hinc ignis
inuidie. hinc ignis caritatis se extulit. ideo
subditur. Aque multe non potuerunt extin
guere caritatem. nec flumina obruent illam.
Caritatem quippe sancti iniuncti ardebant. quia

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

Fragmentarium

License: cc-by-nc-sa – Paris, Bibliothèque nationale de France, Baluze 270, ParisBNFBaluze270_250_f117v – Fragments of manuscripts gathered by Étienne Baluze (https://fragmentarium.ms/view/page/F-0r5d/340/5256)